

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Temptatio n
cum fonte primo

Ad Iudeam Dominus
per Ieremiam dicit: Quousque
morabuntur in te cogitationes noxie?

Neque enim reprehendit cur ueniunt, sed
cur morantur. In bonis enim cordibus
cogitationes illicite ueniunt, sed tamen
morari prohibentur quia recti queque ne
captiuandam domum consciencie
prebeant, ab ipso cordis limine hostem
fugant. Qui et si quando repentinis
suggestionibus usque ad primum
uestibulum subrepat, ad consensus
tamen ianuam non pertingit.

Gregorius libro XXVII. moralium.

Vnde bene
ad Iudaeam Dominus
per prophetam dicit: Quousque
morabuntur in te cogitationes noxiae?
(Ier. 4:14)

Neque enim reprehendit cur ueniunt, sed
cur morantur. Et in bonis enim cordibus
cogitationes illicitae ueniunt, sed tamen
morari prohibentur, quia recti quique ne
captiuandam domum conscientiae
praebeant, ab ipso cordis limine hostem
fugant. Qui et si quando repentinis
suggestionibus usque ad primum
uestibulum subripuerit, ad consensus
tamen ianuam non pertingit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 27,
26 (CCSL 143B, M. Adriaen ed.,
p.1370, ll.65-73).